

22. 8°. In genere omnes publici peccatores qui absque veræ pœnitentiæ signis decedunt *can. 16. caus. 13. q. 2.* vel qui in peccato lethali notorio absque pœnitentia moriuntur. Sic ex. gr. qui in actuali fornicatione, aut adulterio occiduntur, vel morte instantanea in actu criminis pereunt *can. 31. caus. 13. q. 2.* Conditio autem veræ pœnitentiæ si verificetur, conceditur sepultura etiam in superioribus casibus, illis exceptis in quibus ratio justitiæ exigit, ut restitutio fiat, vel cautio detur ut fiat.

23. Tandem pœna privationis a sepultura ecclesiastica instituta est contra duellantes. Conc. Trid. *sess. 25. cap. 19. de Ref.* privationis sepulturæ pœnam statuerat contra duellantes occumbentes in certamine. In eodem ferme sensu locuti fuerunt Gregor. XIII. Const. *Ad tollendum* et Clemens VIII. Const. *Illius.* Quæstio autem mota fuit a doctoribus, an pœna privationis comprehenderet etiam illos qui, expleto certamine, sed ob vulnus in certamine susceptum moriuntur; *Engel h. t. n. 22.* Sed in odium hujus perniciosi criminis Bened. XIV. in Const. *'Detestabilem'* præter alias censuras contra duellantes decrevit, ut duellantes privarentur sepultura ecclesiastica sive morentur in duello, sive postea, vulnere tamen suscepto in duello, quamvis post duellum signa dederint pœnitentiæ, immo licet sese reconciliaverint cum Ecclesia per sacramentorum susceptionem. Hæc vero dispositio ultima de privatione sepulturæ non ubique servatur cum duellantibus, qui cum Ecclesia reconciliati per sacramenta ad aliam vitam transeunt. Contraria enim consuetudo suadentibus temporum circumstantiis inducta esse videtur ut in aliquibus locis duellantes qui demoriuntur ob acceptum vulnus in duello, sepeliantur in loco sacro, si veræ pœnitentiæ signa dederint.

24. Quid vero dicendum si de facto indigni hominis cadaver sepeliatur in loco sacro?

1°. Ex *Clem. 1. h. t.* et ex *c. 2. De hæretic. in 6°.* illi qui propriæ temeritatis ausu defunctorum corpora in cœmeteriis, vel Ecclesiis interdicti tempore in casibus non permissis a jure sepeliebant, vel qui sepeliebant in loco sacro excommunicatos publicos vel nominatim interdictos, vel usurarios manifestos, aut hæreticos, receptores, vel fautores eorundem hæreticorum, excommunicationi latæ sententiæ subjiciebantur. Quæ tamen excommunicatio reservata non erat Rom. Pontifici, et ab Episcopo remitti poterat post congruam satisfactionem. Insuper ab hac excommunicatione ex-

cusabat ignorantia juris, vel facti, necnon metus gravis. Ad eam enim incurrendam requirebatur *temeritas audaciæ Clem. 1. h. t.* At hodie ex *Const. Apostolicæ Sedis* non amplius viget prædicta pœna in tota sua latitudine, sed solummodo pœna excommunicationis latæ sententiæ nemini reservatæ plectuntur 'mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos'. Insuper inter interdicta reservata in eadem Const. sub *n. 20.* est illud contra 'scienter nominatim excommunicatos . . . ad sepulturam ecclesiasticam admittentes'.

25. 2°. Si sepultura sit in loco sacro cadaver excommunicati vitandi, vel infidelis, vel hæretici exhumari debet, quoties ejus ossa discerni possunt *arg. c. 12. h. t. c. 7. De consecr. Ecclesiæ et c. 2. De hæretic. in 6°.* Ecclesia vero seu cœmeterium, violatum idest pollutum esse censetur. Hinc inibi nemo ex fidelibus demortuis sepeliri potest antequam reconciliatio loci fiat *c. un. De consecr. Ecclesiæ in 6°.* At de hac re videbimus in tit. *De consecratione Ecclesiæ vel altaris.*

26. 3°. De aliis indignis sepultura ecclesiastica, si contra legem canonicam sepeliantur in loco sacro, in jure nostro expressa dispositio non adest, qua præcipiatur cadaveris ejectio. Porro ejectio cadaveris e sepultura est pœna rigida quæ proinde extendenda non est ad casus in jure non expressos; præsertim quia aliis indignis sepultura religiosa undequaque applicari non potest regula Innocentii *'Quibus non communicavimus vivos, non communicamus defunctis'*.

27. Ultimo loco videndum est an aliquid possit exigi ratione sepulturæ. Profecto nullum dubium est, pretio comparari non posse jus sepulturæ ecclesiasticæ in sensu superius explicato, illud enim est res sacra et pretio inæstimabilis. At 1°. pretio emi potest fundus in quo constituatur sepultura. Locus enim hujusmodi quemadmodum area ad Ecclesiam ædificandam est pretio æstimabilis. Non enim emitur res sacra, sed res profana quæ inde convertitur in sacram. 2°. Fundus in quo constructa, et benedicta est sepultura, potest etiam emi, qua fundus est, dummodo majus pretium non solvatur ob qualitatem religiosam rei. Res enim sacræ, et objecta ceu vasa, quæ cultui divino inserviunt, possunt sub respectu valoris profani alienari recepto pretio valori respondente. Idque a fortiori si agatur de sepultura nobilium more constructa quæ ex operibus, et ornamentis honorabilior est. Cardinalis Petra *Comm. ad*

*Const. Pauli II. n. 18. et 19.* innixus resolutioni S. Congr. Conc. in causa *Melliten. diei 6. Sept. 1659* probat non requiri beneplacitum Apostolicum quando acquiratur fundus pro constituenda sepultura, requiri autem ad removendum periculum simoniæ, quando interveniente pretio conceditur usus sepulturæ jam constructæ. Verum pro sepultura ordinaria, et publica fidelium aliquid non potest exigi titulo pretii, et ut conditio sine qua non sepeliatur cadaver *c. 13. h. t.* Si autem adsit consuetudo aliquid solvendi pro simplici sepultura, parochus vel rector Ecclesiæ non prohibetur solitam præstationem exposcere, exclusa tamen turpi exactione. Immo doctores cum *Abb. Comm. in cit. cap. 13. n. 7.* tradunt posse Episcopum compellere laicos nolentes, ut consuetudinem servant, et solvant quod consuetudo secumfert, postquam vero completum est funus, et postquam cadaver sepulturæ traditum est.

#### Appendix de sepultura religiosorum.

28. Jus sepulturæ cum suis consecrariis, scilicet cum emolumentis funeris, vel saltem quarta funeris, consideratum est a legislatione canonica tamquam quid connexum cum jure quo fideles fruuntur recipiendi sacramenta a proprio Parocho *c. 1. h. t. in 6º.* et *Clem. Dudum § Verum eod. tit.* Jamvero ob exemptionem religiosæ domus regulares personæ in eadem commorantes sacramenta non suscipiunt a Parocho intra cujus parœciæ limites religiosa domus existit. Hinc penes doctores adagium inductum est 'locus exemptus ut locus extra diœcesim æquiparatur'. Quare jus sepulturæ regularium est independens a juribus parochialibus. Et revera ipsa legislatio canonica in *cap. 5. h. t. in 6.* cavit: 'Religiosi, nisi a propriis Monasteriis adeo forsitan sint remoti quod ad ea, quum moriuntur, commode portari non possint nequeunt cum velle, vel nolle non habeant sibi eligere sepulturam, sed sunt apud sua monasteria tumulandi.' Exinde sequitur hominem regularem sepeliendum esse apud monasterium suum, adeoque jura funeris esse Monasterii ipsius propria, quamvis demortuus sit extra monasterii claustra dummodo ad monasterium commode transferri cadaver possit.

29. Quæsitum est quomodo esset explicandum illud *commode.* Antiqui doctores dixerunt illum religiosum non posse ad suum monasterium commode transferri, sed mortuum esse tumulandum in Parœcia loci ubi e vita migravit qui a monasterio suo non distat ultra unam dictam, idest per spatium majus viginti milliariis

italicis. Siquidem si ultra iter unius diei quod viginti milliariis juridice continebatur cadaver debuisset moveri, facile non potuisset ad monasterium deferri, quin putresceret, et aërem simul inficeret. Veteres autem doctores considerabant asperitatem viarum, et defectum mediorum quibus ad transferenda cadavera utebantur, et exinde deducebant spatium unius diei non posse cadaver commode asportari ex loco qui distaret ultra viginti passuum millia.

Verum immutata est hodie rerum conditio præsertim post constructas vias ferreis stratas asseribus. Hinc in causa Veliterna diei *21. Augusti anni 1869* S. Congr. Concilii proposito dubio: 'An et quæ emolumenta solvenda essent Parocho ratione juris funeris canonici regularis Lateranensis in urbe Veliterna demortui extra claustra monasterii, cujus cadaver a Canonicis Lateranensibus elatum fuerat in monasterium suæ residentiæ in urbe Roma existens'; responsum est negative in omnibus. Procul dubio Veliterna civitas ultra 20 milliaria ab Urbe distat. Quare dici potest perseverare adhuc dispositionem *cap. 5. h. t. in 6º.* non autem amplius vigere doctorum sententiam, et antiquam praxim de numero viginti millia passuum antiquitus assignato, ceu limite juris sepulturæ regularium demorientium extra claustra monasterii. Hinc ubi commoditas viarum verificetur, et ubi media opportuna suppetant quibus brevi temporis intervallo cadaver religiosi hominis facile possit ad suum monasterium deferri, jus funeris non ad parochum loci pertinet, sed ad ipsum monasterium.

30. Porro quando jus funeris ad monasterium pertinet superiores regulares defuncti etiam inconsulto Parocho loci ubi mortuus est homo religiosus extra claustra Monasterii, possunt deferre cadaver quin Parochus aliquod emolumentum exposcere, et assequi valeat, licet morienti religioso sacrum viaticum, et extremam unctionem ministraverit. Ita S. Congr. Epp. et RR. in *Bononiensi diei 2. Julii 1620.* et S. Congr. Concilii *in Puteolana diei 22. Maji 1615.*

31. Quæritur quid dicendum de jure associationis cadaveris, quoties processio funebris debeat pertransire intra limites jurisdictionis alicujus Parochi.

Dubium non est intra limites parœciæ Parochum esse, qui jurisdictionem exercet, aliosque ab exercitio ejusdem jurisdictionis repellere *c. Pastoralis. De his quæ fiunt a prælatis, et Trident. sess. 14. c. 9. De Ref.* Siquidem ipse est qui regimen habet ordi-

narium populi in parœcia sua. Jamvero jurisdictionis exercitium sequitur manifestatio ejusdem quæ fiat congruis signis exterioribus, prout est stolam deferre, crucem elatam gestare. Ita præ aliis Pignatelli *Consult. 73*. Hinc viderentur regulares non posse suorum sociorum funus gerere extra monasterium intra limites alicujus Parœciæ.

Verum proposita quæstione: 'An proprius Parochus defuncti transeundo per Parochiam unius Parochi alterius cujuscumque diœcesis ad effectum deferendi processionaliter cadaver ad Ecclesiam regularium possit libere et licite per eandem cum stola, et cruce elevata transire etiam irrequisito Parocho', S. Congr. die 28. Nov. 1671 respondit *affirmative*. Hanc vero sententiam confirmavit *Innoc. XI. die 2. Dec. 1678*. A pari igitur regulares superiores, qui juribus parochialibus erga suos subditos regulares gaudent poterunt funus religiosi defuncti agere intra limites alicujus parœciæ. Quod de regularibus viris dictum est, etiam regularibus mulieribus est applicandum juxta mentem Bened. XIV. expressam in Const. alias cit. '*Si datam nominibus*' diei 4. Martii an. 1748. At in Monasteriis monialium cum confessarius censeatur esse parochus, ipse est, qui funus religiosæ feminæ defunctæ peragit. Ita doctores et S. Congr. in *Tranensi diei 30. Maji 1856* et diei 17. Sept. 1858. Porro hæc, quæ diximus de funere quod agere possunt regulares in alienæ parœciæ limitibus intelligenda sunt de simplici transitu intra terminos ejusdem alienæ Parœciæ. Si enim agatur de translatione cadaveris personæ religiosæ ex aliena parœcia, in qua mortua est, in propriam Ecclesiam, servanda erit limitatio de qua paulo inferius.

32. Quodsi sermo sit de delatione cadaveris regularis personæ ad publicum cœmeterium quod in Ecclesia sepeliri non possit ex gr. ob legis civilis interdictum, ex decreto S. Congr. Concilii diei 24. Jan. 1846 deprehendimus posse Regulares cum stola, et cruce elata conventus, et sine parochi interventu cadaver deferre ad cœmeterium commune, modo id fiat absque pompa solemnî, et defunctus recto tramite deferatur ad cœmeterium. Eadem prorsus in terminis responsa dedit S. Congr. Concilii in causa *Syracusana funerum diei 24. Febr. ann. 1852*, cum quæstio ageretur de confessario monialium, qui sibi vindicabat jus ad publicum cœmeterium associandi cadaver monialis monasterii sui. Posita limitatio, ut nempe translatio cadaveris fiat absque pompa, et recto tramite

de loco ad locum, observanda est a regularibus etiam quando e domo a monasterio distincta defunctum religiosum ad proprii monasterii Ecclesiam transferunt. Ubi enim eadem ratio est, ibi etiam eadem juris dispositio esse debet. Hinc si pompa funebris adhiberi velit a regularibus, consuetudo est ut interveniat etiam Parochus. Conf. Mattheucci *Officialis Curie c. 48*. et Card. Petra ad *Const. 9<sup>m</sup> Innoc. III. Sect. unic. n. 11*.

33. Quid si aliquis fidelis laicus sive ex electione sive ex alio titulo jus habeat sepulturæ, et consequenter jus funeris in aliqua Ecclesia regularium?

Regulares non possunt funus comitari, et asportare cadaver absque consensu, et interventu Parochi. S. Congr. Concilii in *Tusculana diei 24. Julii 1734*. At Parochus in associatione funeris ingredi Ecclesias regularium cum stola et cruce erecta non potest. Sed debet terminare preces associationis ante januam Ecclesiæ, ibique dare cadaveri ultimum vale. S. Congr. Concilii in causa *Insular. Canariæ 31. Jul. 1694* et in *Laudens. die 2. Maji 1711*. Ratio est legislatio ecclesiastica quæ in bonum christianæ societatis tuetur jurisdictionem ordinariam Parochorum et exemptionem Regularium, itaque temperavit agendi rationem eorundem ut Parochi quousque fieri possit non ingrederentur provinciam Regularium, et viceversa. Quoad vero regularium exemptionem legislatio canonica præ oculis videtur habuisse ipsa loca, idest monasteria, et ecclesias unitas, ita ut quasi extra diœcesim et parœciam posita considerarentur. E contra in jurisdictione parochiali eadem legislatio, licet consideret limites territorii parochialis, primario tamen præ oculis habet fideles Parochi curæ traditos, quos uti pastor sacramentis, et doctrina pascit. Hinc explicatur quomodo permittatur regularibus aliquando in parœcia aliena gestare signa publica jurisdictionis, non permittatur autem Parochis ingredi ecclesias regularium cum iisdem signis.

34. Quæritur quid dicendum de Ecclesiis regularibus monasteriorum, vel conventuum ex lege civili suppressorum, utrum necne jus funeris conservent quod habebant ante religiosæ familiæ suppressionem? Quæ dicemus, præsertim Italiam ob nuperrimam rerum publicarum eversionem respiciunt. Quoniam ex pluribus monasteriis vel conventibus religiosi prorsus expulsi sunt, in aliis autem relictis sunt pauci numero religiosi tamquam custodes, et capellani Ecclesiæ, et quoniam non raro religiosi expulsi e propriis monasteriis et

Ecclesiis incolunt privatam domum, ibique religiosam vitam simul conducunt; hinc plures casus considerandi sunt. Et primo quidem consideremus Ecclesiam regularium in qua adsit jus sepulturæ, quæque, exclusis religiosis, mutata fuerit in Ecclesiam sæcularem. Sciendum in hac re est, jus sepulturæ in Ecclesia aliqua receptum, et consideratum fuisse tamquam jus reale adhærens ipsi Ecclesiæ. Hinc licet supprimatur canonice, idest ab auctoritate ecclesiastica, regularis familia, vel domus religiosa, ita ut ecclesia e regulari fiat sæcularis; tamen ecclesia ipsa non amittit jus funerandi: sed illud secum transfert in secundam conditionem. Quapropter si in suppressione religiosæ domus ecclesia non redigatur ad communem conditionem Ecclesiarum in parœcia existentium sed alteri pio instituto speciali, quod habeat proprium esse, et formam, destinetur vel uniatur, ex. gr. seminario, xenodochio etc., rectori, vel superiori pii ejusdem instituti reservatur jus funeris quod regularium in Ecclesia proprium fuerat. Ita *S. Rota cor. Merlino dec. 547. Ita S. Congr. Conc. in Ravenn. Funer. 17. Martii 1781; in Pergulana diei 29. Jan. 1825 et in Tiburtina diei 17. Martii 1827.* In postrema controversia proposita fuere duo dubia: 1º. An Ecclesia S. Petri gaudeat jure tumulandi in casu. Responsum est affirmative. 2º. An et quæ emolumenta funeris in eadem Ecclesia peracti spectent ad Parochum defuncti in casu. Responsum est affirmative pro quarta funerum juxta consuetudinem loci. In causa autem Pergulana resolutum est 1º. Rectorem Seminarii in sua ecclesia quæ fuerat regularis, quæque est intra limites alicujus parœciæ, jus habere perficiendi functiones non parochiales; 2º. Parochum quoad illam Ecclesiam sese in funeribus gerere debere ad formam Ecclesiarum exemptarum, ita nempe ut possit associare cadavera suorum parochianorum usque ad januam Ecclesiæ, habeatque jus ad quartam funeris juxta consuetudinem loci; 3º. Parochum prohiberi quominus in eadem Ecclesia functiones mortuarias non parochianorum exequatur.

35. Quod si domus religiosa suppressa, et Ecclesia redacta fuerit ad conditionem communem aliarum Ecclesiarum in parœcia existentium, ita ut debeat considerari ceu Ecclesia filialis Parœciæ, procul dubio jus funeralium in eadem perficiendorum Parocho competere dicendum est. Et in hoc sensu accipienda est resolutio Congr. Reformationis data die 16. Dec. 1816 quam confirmavit s. mem. Pius Papa VII. die 17. ejusdem mensis. Refertur hæc

resolutio in *Pergulana diei 18. Dec. 1824 § Reponit.* citatur autem in *Foroliviensi 16. Sept. 1871.*

36. Quid vero dicendum est de Ecclesiis regularibus adnexis domui religiosæ suppressæ a gubernio civili quam incolunt pauci numero religiosi?

Procul dubio nec suppressio religiosæ familiæ juridice valet, nec mutatio status ecclesiæ de regulari in sæcularem legitima est. Etenim utrumque factum est jussu laicorum, quibus teste Innoc. III. in *c. X. De constit.* in ecclesiis nulla est tributa potestas. In specie autem si sermo sit de mutatione status Ecclesiæ regularis quoad jura, onera, et privilegia propria, mutatio fieri nequit absque beneplacito Sedis Apostolicæ ob privilegium exemptionis. Porro hanc regulam non semel exhibuit et roboravit S. Congr. Concilii. Ita in cit. *Ravennatensi 17. Martii 1781, in cit. Tiburtina et in Firmana 21. Nov. 1840.*

37. Quare, non obstante iniqua suppressione religiosæ familiæ, Ecclesia de qua in hypothesisi integra jura funerum conservabit, ita ut persona regularis, quæ rectoris munere fungitur eadem jura exerceat. Nuperrima decisio S. Congr. Concilii in *Forolivien. Juris funerandi diei 16. Sept. 1871* enatam quæstionem in hoc exposito sensu ad amussim resolvit. Et quidem quoniam religiosi habitantes in domo adnexa quoad jura, et onera parochialia subjiciuntur superiori regulari domus: hinc mea opinio est jus funeris in morte alicujus ex eis plene et exclusive competere eidem superiori regulari. Nec officit difficultas orta ex disciplina introducta juxta quam Ordinarius loci approbat superiorem seu rectorem in Ecclesia regulari a lege civili suppressa; nam ad summum in sensu juris dicendum est religiosas domus, et earum Ecclesias incidisse in eam conditionem de qua cavet Innoc. X. in celebri decreto *Ut in parvis diei 10. Febr. 1654.* Scilicet parvi virorum conventus in quibus saltem sex religiosi non commorantur actu, quorum saltem quatuor non sint Sacerdotes subjiciuntur correctioni, et omnimodæ jurisdictioni Ordinarii tamquam Sedis Apostolicæ delegati. Hac tamen in conditione conventuum jurisdictio Episcoporum non est exclusiva, sed cumulativa cum superioribus regularibus quemadmodum innixus resolutioni authenticæ S. Congr. super statum regularium probat Fagnanus *Comm. ad c. 7. De officio ordin.*

38. Et revera scimus ex facto religiosos in istis domibus suppressis a lege civili commorantes subjici et pendere a suis superio-

ribus regularibus. Igitur et personæ in ipsis domibus residentes quemadmodum regulam religionis observare tenentur, ita etiam servabunt jura adnexa domui et Ecclesiæ, sola excepta libera et plena exemptione a jurisdictione Episcopi ob paucitatem numeri religiosorum juxta Decretum Innoc. X. Quare conservabunt etiam jus funeris parochum proprium excludentes, et ipsis in omnibus applicari poterunt normæ juris, quas supra de regularium funere exposuimus.

39. Quid vero dicendum de regularibus a civili potestate e propria domo expulsis, et incolentibus privatam domum in civitate vel pago?

Resolutio juridica, quod sciam, nulla data adhuc est. Verum si ex auctoritate Superioris regularis et præsertim si ex venia S. Sedis religiosi vitam in communi degant servantes formam instituti proprii, non dubito quin et ipsi independentes sint censendi a jurisdictione parochi etiam quoad funus quoties vel in Ecclesia proprii ordinis, vel in aliqua ecclesia sibi adsignata funus agere possunt. Isti enim coram auctoritate ecclesiastica adhuc regulares sunt et solummodo eorundem exemptio limitata est juxta decretum '*Uti in parvis*' Innoc. X. Conf. Instruct. S. Pœnitentiariæ diei 18. Aprilis 1867. Tandem in hac re adnotandum esse censemus tum quoad jus ipsum funeris et associationis tum quoad modum quo exerceri debeat tum quoad quartam emolumentorum funeris plurimum valere statuta synodalia, et decreta episcopalia, quæ tamen juri communi non adversantur, necnon consuetudines locorum legitime præscriptas. Hinc S. Congregatio non semel, immo forsitan quoties occasio sese obtulit, invocavit consuetudinem locorum. Ita in citatis *Pergulana et Tiburtina* atque in nuperrima *Foroliviensi*.\*)

#### TITULUS XXIX.

### De parochis et alienis parochianis.

1. Primis Ecclesiæ sæculis populus fidelium, et presbyteri cæterique ministri adunabantur in sacris officiis peragendis cum proprio Episcopo. Aucto deinde numero fidelium ab Ecclesia cathe-

\*) Vide etiam de Crematione, Cavagnis Jus publ. eccl. lib. 4. n. 158. et seqq.

drali auctoritate Episcopi mittebantur presbyteri ad solatia plebium, sed inde ad cathedralem reversuri. Quapropter appellabantur *visitatores, circumcursatores, circuitores*. Factum vero inde est ut etiam in pagis erigerentur templa, et in ipsis constituerentur ministri. Hæc disciplina primum incepit in Ecclesia orientali. In Ecclesia autem occidentali sæculo IV. id contingit.

2. Presbyteri qui Ecclesiis istis minoribus addicebantur appellati sunt *Cardinales* vel *Cardinati*, veluti cardines adfixi Ecclesiæ c. 5. *Dist. 71. c. 42. can. 7. q. 1.* Dicti etiam sunt presbyteri *Vicarii* vel etiam *Forastici* a vicis et foris ad quæ mittebantur. Appellati insuper sunt *Plebani* c. 40. *elect. Rectores* c. 3. *De vita et honest. cler. Proprii Sacerdotes* c. 12. *De pœnit. et remissionibus*. Tandem dicti sunt *Parochi*, et Parochiæ, vel Parœciæ dicta sunt loca intra quorum fines isti presbyteri officium suum exercebant *can. 35. De Conf. Dist. 1.* Quare christiana plebs quæ tota, et immediate ab Episcopo regebatur et sacramentorum doctrinæque pabulum recipiebat, paulatim divisa est in particulares sectiones quarum cuique præesset proprius sacerdos dependens ab Episcopo. Parochia igitur considerari potest ceu pars diœceseos.

3. Definiri autem potest: '*Certa diœceseos Ecclesia quæ populum certis limitibus distinctum, et Presbyterum seu rectorem proprium habet, qui missione accepta ab Episcopo et sub ejus dependentia eidem populo sacramenta, verbum divinum, et alia spiritualia ordinis spiritualis ex officio administrat.*'

4. Ex hac definitione patet quænam requirantur ad Parochiam constituendam. 1º. Requiritur certus locus seu territorium in quo adsit Ecclesia, quæ titulum constituit Parœciæ, et Ecclesia parochialis dicitur. Parochia enim est ad modum diœceseos in qua adsunt determinati fines territorii, et insuper Ecclesia cathedralis. Erectio autem Ecclesiæ in parochiam et circumscriptio loci seu finium perficitur a Rom. Pontifice vel ab Episcopo ita ut nemo alius possit hanc peragere erectionem *can. 11. c. 16. q. 7.* Parochialis enim potestas est participatio pastoralis officii quod de jure divino proprium est Episcopi.

5. Concilium vero Trid. in *sess. 24. c. 13. de Ref.* mandat Episcopis, ut in locis in quibus parochiæ distinctæ non sunt, '*distincto populo in certas propriasque parochias unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a*